



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XLII. Præuium concursum physicè prædeterminantem non esse voluntati
liberæ necessarium, vt aliquid determinatè velit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

potentia libera. Ratio verò est, quia voluntas fertur in obiectum voluntariè, vt ex terminis constat, quod adeò est intrinsecum illi, vt propterea cogi non possit; ergo motus ipse, quo hæc facultas fertur in obiectum, illi voluntariè est: non est autem voluntariè per alium actum, aliàs procederet in infinitum; ergo talis actus est intrinsecè ac per seipsum voluntariè. Ethoc docuit Caietanus 1. 2. q. 9. art. 4. & sumpsit ex D. Thoma 1. 2. q. 16. art. 4. ad 3. vbi ait, voluntas consentiendo obiecto consentit se consentire, & consequenter volendo obiectum, vult se velle, quia actus voluntatis reflectuntur supra seipsos. Et ex eodem principio dixit in 2. 2. q. 25. art. 2. amorem ex ratione propriæ speciei habere, quod supra se reflectatur, quia est spontaneus motus amantis ad amatum, vtique extrinsecè, & per seipsum, ideoque adiungit, Vnde ex hoc ipso quod amat aliquis, amat se amare. Et sic etiam dixit Augustinus 8. de Trinit. cap. 7. Qui amat proximum, consequens est, vt etiam ipsam dilectionem diligat. Eademque ratio in vniuersum est de ipso velle, seu de quolibet actu voluntatis, vt copiosius docuit idem Augustinus lib. 2. de libero arbitrio, cap. 19. dicens, Noli mirari, qui ceteris per liberam voluntatem vivimus, etiam ipsa libera voluntate per eam ipsam vt nos posse, vt quodammodo seipsa vtatur voluntas, quæ vtitur ceteris, sicut seipsam cognoscit ratio, quæ cognoscit cetera. Et hæc est ratio à priori, ob quam in sola potentia appetente potest esse formalis libertas, quia solus actus à tali potentia elicitus est intrinsecè voluntariè, seu spontaneus, & ita sola potentia appetens vitaliter potest seipsum ad appetendum actualiter, & vitaliter inclinare, quod maximè est necessarium in potentia formaliter libera, vt possit velle vnum actum elici, potius quàm alium, vel potius exercere actum, quàm ab illo cessare, cum ad neutrum ex natura sua sit determinata. Et hinc etiam est, quod cum voluntas possit aliàs hominis potentias sibi subiectas ad liberum exercitium actus mouere, ipsa sola possit seipsam ad volendum mouere, & applicare, vt idem D. Thomas tradit 1. 2. q. 3. art. 3. & 4. quia actus aliarum potentialium non sunt voluntarij, nisi propter actum voluntatis est: & ita quia voluntas volendo aliquid, vult velle illud, ideo eodem actu, quo vult aliquid, se mouet ad volendum.

D. Thom.

3.
Pestitur
probatio.

Ex his ergo principiis facillè probamus illationem factam, & assertionem, scilicet, voluntati propter indeterminationem suam non esse necessariam physicam prædeterminationem extrinsecus ab ipso Deo illi aduenientem, quia tribus tantum modis cogitari potest hæc necessitas. Primo, quia voluntas indiget tali præmotione propter imperfectionem virtutis agendi, vt per illum actum compleatur quoad vnum actum determinatum solum. Secundo potest requiri vt voluntas determinetur ad exercitium actus. Tertiò vt concursus Dei voluntatem, vel quoad speciem actus, vel quoad indiuiduum determinet; nam cum voluntas ex se sit indifferens ad plures concursus, non potest ab illa sumi determinatio ipsiusmet concursus, sicut fit in aliis causis naturalibus. Sed nullo ex his modis potest talis necessitas admitti, nedum probari; ergo nulla est. Consequenter satis probatur à sufficienti partium enumeratione: nullus enim alius titulus huius necessitatis hæcenus legi, vel cogitari potuit, nec facillè fingi posse existimo. Antecedens autem probatur per singula membra discurrendo.

4.
Non requi-
situr præ-

Primum facillè refellitur ex dictis, ostensum est enim voluntatis indifferenciam, quæ liberam illam constituit, non esse ex imperfectione, sed ex emi-

nentia actiuitas, & dominij in suos actus, nam de determinata virtute eminenti ita plures continet, vt quemlibet non potest efficere, vel sustinere; ergo propter defectum virtutis non indiget forma, vel actu determi-
nante. Sicut diuina voluntas indifferens est ad varios effectus, quia tamen illa indifferencia eminentia nascitur, ideo non indiget extrinseco prædeterminante, sed seipsa determinatur prout vult, vt ait D. Thomas 1. p. q. 19. art. 3. ad 5. Libertas autem voluntatis nostræ, est quædam singula. D. Thom. partis participatio diuinæ libertatis quoad extrinsecam facultatem sufficientem ad varios actus efficiendos, vel non efficiendos, ex intrinseca vi, & perfectione, etiamli nullum impedimentum occurrat: nam hoc saltem est necessarium ad veram libertatem, quamuis in modo inhiat diffcultas libertas creata a diuina: nam diuina non est per immediatum ordinem ad plures actus internos eiusdem voluntatis, sed per solam habitudinem ad plura obiecta creata, quia illa libertas est purissimi actus, sine vlla potentialitate: libertas autem potentie creata est immediate in ordine ad proprios actus internos, quia non est purus actus, sed semper habet aliquam potentiam passiuam, vt l. 1. d. Thomas 1. contragent. cap. 32. Arque D. Thom. hanc doctrinam expresse tradidit Scotus in 2. 2. q. 25. q. 3. ad vltimum argumentum, in quo eandem difficultatem propoluerat. Respondet autem voluntatem esse indeterminatam, tanquam formam perfectam, & non diminutam, ideoque præterito obiecto posse se determinare, & etiam alia, & tandem ita concludit. Potentia igitur rationalis perfecta, qualis est voluntas, quamuis sit contrariorum, poterit determinare se obiecto præterito ad vnum illorum.

Neque possunt hanc partem negare, vel huic rationi contradicere aliter sententia auctores, quibus vt supra vidimus, fatentur concursum præuium non requiri in causa secunda; vt ex parte illius virtutis agendi, seu actum primum compleat, conueni illa ratione, quia alias causæ secundæ non haberent in suo genere virtutem completam ad agendum: at hæc ratio multo magis vrget in voluntate libera; ergo multo etiam magis in illa fatetur debent præuiam determinationem non requiri, vt illam in actu primo constituat, vel virtutem agendi suos actus compleat. Minor declaratur argumento sæpe à nobis repetito, & in hac parte ab ipsis probato, vt ibi etiam notauimus, quia si voluntas per hunc præuium concursum constitueretur in actu primo, & completa virtute proxima ad agendum, ante talem concursum non esset proximè ac perfectè libera, saltem quoad specificationem, seu quoad plures, vel contrarios actus, vt iam latè deduximus: hinc autem vltius sequitur, vt nunquam in ipsa tali libertate vtatur. Probatur hæc vltima illatio, quia per concursum præuium tantum compleatur virtus voluntatis ad vnum actum efficiendum; ergo ad illum solum efficiendum habet tunc potestatem actiuam sufficientem, vt non ad vllum alium; ergo etiam tunc non habet libertatem simpliciter ad plures actus; ergo nunquam illam habet.

Vnde etiam fit, vt licet alios actus præter illum, ad quem recipit concursum præuium, facere omittat, non possit hoc tribui libertati eius, quia non ex sua sola voluntate illos omittit, sed quia impotens multumque semper fuit ad illos efficiendos, quia nunquam actus fuit in actu primo constituta, nec virtutem completam habuit ad tales actus efficiendos. Et hinc facillè inferri etiam potest, si hoc titulo est necessaria prædeterminatio, tolli libertatem quoad exercitium actus; nam prius tempore, vel natura, quam ad plures voluntas recipit talem præuium concursum, non actus

est principaliter potens ad exercendum talem actum, ac subinde neque est libera, quoad exercitium illius; statim verò ac recipit illud virtutis complementum, non potest continere actum, seu non exercere actum, ad quem elicendum completur: nam hæc est vis phyſicæ prædeterminationis; ergo nunquam est voluntas libera ad exercitium talis actus. Sed hæc ratio ex professo tractanda est in lib. 5. & paulo post hoc loco necessariū erit aliquid illi adiungere.

7. Non est necessaria prædeterminatio ad determinandum voluntatem ad speciem, aut exercitium actus. Secundum membrum supra positum fuit de necessitate præuij concursus in voluntate propter solam determinationem ad vnum actum in specie, vel ad exercitium actus, quia causa indeterminata, non potest in effectum determinatum prodire, propter rationem octauam prioris sententiae in cap. 27. propositam. Sed hanc etiam necessitatem nullam esse ostendimus ex principiis positis; quia potentia, quæ habet sufficientem vim actiua ad plures actus, & subest motioni liberæ voluntatis, per solum velle eiusdem voluntatis determinatur ad definitum, seu particularem actum exercendum, ut patet in intellectu, & potentia motiua: sed voluntas habet virtutem sufficientem ad eliciendos varios actus, & sibi ipsi subest (ut sic dicam,) quoad liberam motionem, ergo seipsam determinare volendo cum simultaneo concursu primæ causæ; ergo propter determinationem non indiget prædeterminatione. Minor probatur, quia voluntas non determinat alias potencias, nisi volendo, ut operetur; sed ipsa volendo obiectum, vult etiam operari, ut declaravi: ergo proposito obiecto sufficienter cum omnibus ex parte illius requisitis, volendo tale obiectum, vult se applicare, seu mouere ad talem actum, & ita se determinat, licet non sola, sed cum concursu Dei simultaneo. Explicatur in actu credendi, nam voluntas determinat intellectum ad actum fidei volendo credere, & ideo non est necessaria alia prædeterminatio in intellectu ad talem actum fidei volendo credere, vult velle credere, quia ipsum velle voluntarium est; ergo per ipsummet velle se sufficienter determinat; ergo est impertinens omnis alia prædeterminatio.

8. Confirmatio prædictæ positionis. Atque hæc quidem est ratio à priori huius partis: à posteriori verò possumus illam confirmare, quia alias superflue author naturæ, voluntati humanæ dedisset virtutem illam eminentem, & indifferentem quoad specificationem, & exercitium suorum actuum; si postea nunquam illa uti posset, nisi prius ab extrinseco agente determinetur. Imò hinc ulterius sequitur, nunquam voluntatem operari ut indifferentem ad plura: nam idem est indifferentem esse, quod esse indeterminatum, sed nunquam operatur præexistens indeterminata, quia semper indiget præuia prædeterminatione, ut altera opinio dicit; ergo nunquam operatur indifferens. Ex quo tandem inferuntur illa duo incommoda, scilicet ut nunquam operetur ut libera, vel quoad specificationem, vel quoad exercitium. Vtrumque in primi simul probatur, quia nihil aliud est potentiam esse liberam, quam esse indifferentem; si ergo nunquam operatur ut indifferens, nunquam operatur ut libera. Deinde probantur singula membra. Primum, quia voluntas solum potest aliquid operari, quatenus prædeterminata ad illud, ut contraria opinio docet; sed non prædeterminatur nisi ad vnum, ut etiam supponitur; ergo illud potest solum simpliciter operari, & non alia; ergo non operatur ut potens ad plura; ergo nec ut libera ad plura; ergo nec ut libera quoad specificationem actus. Tres vltimæ conſequentiæ per se euidenter sunt, supposita prima, quæ ex contraria positione videtur etiam euidenter.

Er. Suárez de Gratia Pars II.

nam aiunt, voluntatem indeterminatam nihil determinatum posse operari. Nec refert siue illam prædeterminationem requirant ut principium agendi, aut ex parte hominis, aut ex parte Dei, siue tantum ut necessariam conditionem; quocumque enim modo sit necessaria ad eliciendum actum, si illa non datur, nec fit in potestate voluntatis, nisi tantum passiue, intelligi non potest, quomodo sit in libera facultate voluntatis actum elicere ad quem non prædeterminatur. Secundum item membrum probatur argumento supra facto, qui posita illa prædeterminatione non est in potestate voluntatis non exercere actum, & illa prædeterminatio datur ei ab extrinseco, & sine vsu libertatis; ergo actus proueniens à voluntate sic prædeterminata est illi necessarius quoad exercitium.

Et quamuis hæc ratio de auxilio efficacitatis tractanda sit, non possum hic committere, quin aduertam. P. Ledesma artic. 8. conclus. 3. illa fuisse conuictum, ut diceret prædeterminationem hanc fieri non à solo Deo, sed simul etiam à voluntate, nam id existimat & necessarium, ut saluetur libertas, & sufficiens, quia si prædeterminatio fit à voluntate, ipsa met erit libera, & consequenter actus erit liber. quæ quidem responsio quatenus efficaciam rationis à nobis factæ constet, si supponatur prædeterminatio in voluntate à solo Deo, nostram sententiam plurimum iuuat: quatenus verò dicit prædeterminationem fieri à voluntate, non video quomodo cum principiis illius sententiæ, vel cum fundamento eius, imò nec ipso nomine, & ratione prædeterminationis possit consistere.

Primò, quia concursus præuius ponitur fieri à solo Deo, ut supra cap. 25. dub. 5. ostendi: prædeterminatio autem fit per concursum præuium iuxta eandem sententiam; ergo est à solo Deo. Vel è contrario si prædeterminatio non fit à solo Deo, sed simul à voluntate, ergo non fit per concursum præuium, sed per concomitantem, nam simultaneus concursus ille est, per quem Deus simul cum causa secunda operatur; ergo non datur in voluntate concursus præuius ad illam prædeterminationem efficiendam, & sic falsum est illud principium, quod præuius concursus est necessarius per se & essentialiter ad omnem efficientiam causæ secundæ. Vel si fingatur alius concursus præuius distinctus à prædeterminatione, de illo inquiram, an fiat à voluntate necne: nam si sit, procedemus in infinitum; si verò sistendum est in aliquo, qui non fiat à voluntate, in illo procedet argumentum, quod ille tollit libertatem, eodem modo, quo ille author de prædeterminatione argumentatur.

Secundò, quia concursus præuius est principium effectuum actionis causæ secundæ, ut cap. 30. dub. 10. ex sententia illorum authorum dictum est; ergo etiam prædeterminatio est principium actus voluntatis; ergo non potest ab illa fieri. Posterior consequentia videtur euidenter, quia voluntas non potest efficere principium sui actus. Prior verò probatur; quia præuius concursus, & prædeterminatio idem sunt, nam posito concursu præuij in voluntate, fieri non potest, quin actio sequatur, ut in vniuersum de omni causa secunda dicti authores docent: prædeterminatio autem nihil aliud est quam præmotio inseparabilis ab actione; sunt ergo idem in voluntate præuius concursus, & prædeterminatio phyſica, quatenus à Deo, ut generali causa concurrente, fieri dicitur, nam de illa, quæ gratiæ efficaciam attribuitur, alia est ratio, ut postea videbimus. Tertiò in verbis inuoluntur repugnantia, quando prædeterminatio

9. Ledesma v. responsio. confuta. ut.

10. Prima confutatio.

11. Secunda confutatio. Ledesma.

12. Confutatio.

Q. 2

est

esse dicitur, quæ ab ipsa voluntate fit: nam vel est prædeterminatio in actu primo, vel in actu secundo. Si in actu primo, non est à voluntate, quia voluntas non se constituit in actu primo, simpliciter loquendo, ut per se constat; ergo fit à solo Deo in voluntate ipsa, & sic tollitur libertas, ut benedictus author argumentatur. Vel est determinatio in actu secundo, & tunc repugnat esse prædeterminationem, quia particula prædicat antecessorem, non respectu Dei; ergo respectu voluntatis; repugnat ergo esse prædeterminationem, & esse à voluntate. Et confirmatur, nam prædeterminatio ideo ponitur, ne voluntas indeterminata præexistens, aliquid determinatum operetur, quod fieri non posse creditur: at si voluntas ipsa efficit prædeterminationem, ante illum non supponitur determinata; ergo existens prius natura indeterminata efficit prædeterminationem, quæ est effectus determinatus, quod est contra propria principia. Simile argumentum est, quia hæc prædeterminatio ponitur, quia causa secunda non potest mouere, nisi præmota; ergo non potest ipsa efficere suam prædeterminationem, aliàs efficeret illum nondum mota, contra hypothesis.

12.
Non est
necessaria
prædeter-
minatio ni-
si diuina
concurfus
coniunga-
tur cum
causa libera

Tertium membrum in principali ratione positum fuit, quod hæc prædeterminatio putari potest necessaria propter determinationem concursus diuini, quia ille concursus non potest determinari ex coniunctione causæ primæ cum causâ secunda, sicut de naturalibus causis causa naturalis; ergo quod Deus velit cum illa coniungi ad operandum, non satis est ad determinationem diuini concursus; ergo oportet ut per diuinam voluntatem solam prædeterminetur; ergo oportet, ut illa determinatio præcedat, & sic ab illa prædeterminabitur voluntas. Quæ ratio procedit de determinatione quoad speciem concursus; de determinatione verò quoad indiuiduum, supra est vniuersaliter ostensum fieri à solo Deo. Vnde etiam fit consequens, ut ab eodem proueniat prædeterminatio quoad exercitium, quia voluntas Dei prædeterminans talem concursum, quoad speciem, & indiuiduum est efficax; ergo ponit efficaciter in re ipsa talem concursum, & consequenter secum trahit, & determinat voluntatem hominis ad actum propter quam talis concursus datur.

13.
Varia diui-
ni cōcurfus
considera-
tio.

Hic verò discursus pendet ex difficultate tacta capite 40. ad rationem 5. ex quo decreto voluntatis diuinæ procedat concursus quem Deus præbet voluntati creatæ ad liberè operandum, de quo puncto dicam commodius paulo post cap. 45. tractando de concursu ad actum, qui est peccatum. Nunc enim breuiter aduerto, concursum Dei dupliciter considerari posse, scilicet, vel quasi in actu primo, & antecedenter à Deo oblatum, vel ut in actu secundo ad extra exhibitum. Sicut enim prius natura, quàm voluntas liberè operetur, intelligimus illam potentem in actu completo ad operandum; ita prius natura, quàm Deus cum illa concurrat, intelligendus est Deus paratus ad concurrendum cum illa, & quantum in se est antecedenter offerens suam cooperationem, cum sine illa voluntas nihil possit efficere. Dico ergo voluntati habenti libertatem quoad plures species actuum non offerre Deum antecedenter vnicum tantum concursum, sed tot species concursuum, quot sunt species actuum, quos voluntas illa circa obiectum sibi sufficienter propositum potest elicere. Ratio manifesta est, quia Deus prouidet vnicuique causæ secundæ iuxta capacitatem, & indigentiam eius, sed potentia libera cum sit virtute multiplex in ordine ad varios actus est capax plurium concursuum diuinum, seu distinctum pro eodem instanti; ergo si vnus tantum illi prouideretur, seu offerretur, non

Deus offert
voluntati
multiplicē
concursum,
& non vnū
tantum.

sufficienter esset illi promissum iuxta capacitatem eius, quia cum in effectu ac proximè nihil possit facere sine adiutorio, & cooperatione Dei, si vnus tantum illi concursus antecedenter prouideretur, & offerretur absolutè, & numquam secundum totam suam indifferentem potestatem, sed tantum secundum alteram eius partem sineretur operari. Vnde etiam fieret, ut in re ipsa, & in effectu numquam vteretur sua libertate quoad speciem actus, quia simpliciter solum illum posset efficere, ad quem haberet paratum concursum, alias verò simpliciter non posset. Nam quod fieri non potest sine adiutorio alterius, si tale auxilium denegaretur antecedenter, id est, si is, qui daturus illud est, statuit illud non dare, simpliciter fieri non potest, sed voluntas sola sine adiutorio cooperatio Dei nihil facere potest; ergo si vnum tantum adiutorium haberet à Deo oblatum, actum illum facere posset, alios non posset, & consequenter alios non liberè omitteret, nec illi posset moraliter imputari. Sicut ignis Babylonicus carens diuino concursu, simpliciter non potuit calefacere, neque id potest ei tribui, sed Deo deneganti concursum; necessariò ergo dicendum est voluntati liberæ ad plures actus offerre concursum Deum cum indifferentia, quæ non potest esse in vno, & eodem concursu secundum speciem; consistit ergo in varietate concursuum secundum speciem, quam Deus ex se offert liberè voluntati, vt explicatum est.

Hinc ergo vterius dicimus, si sermo sit de concursu in actu primo, seu vt oblatum ex parte Dei non esse determinatum ad vnā speciem respectu causæ liberæ, sed habere indifferentiam proportionatam potentiæ cui offertur, vt est completè, & proximè libera cum omnibus aliis ex parte sua, vel ex parte obiecti prærequisitis ad operandum. Ideoque quoad hanc partem non præcedere membrum illud tertium, seu rationem in illo fundatam, superius liberè. Hinc etiam discursus pendet ex difficultate tacta capite 40. ad rationem 5. ex quo decreto voluntatis diuinæ procedat concursus quem Deus præbet voluntati creatæ ad liberè operandum, de quo puncto dicam commodius paulo post cap. 45. tractando de concursu ad actum, qui est peccatum. Nunc enim breuiter aduerto, concursum Dei dupliciter considerari posse, scilicet, vel quasi in actu primo, & antecedenter à Deo oblatum, vel ut in actu secundo ad extra exhibitum. Sicut enim prius natura, quàm voluntas liberè operetur, intelligimus illam potentem in actu completo ad operandum; ita prius natura, quàm Deus cum illa concurrat, intelligendus est Deus paratus ad concurrendum cum illa, & quantum in se est antecedenter offerens suam cooperationem, cum sine illa voluntas nihil possit efficere. Dico ergo voluntati habenti libertatem quoad plures species actuum non offerre Deum antecedenter vnicum tantum concursum, sed tot species concursuum, quot sunt species actuum, quos voluntas illa circa obiectum sibi sufficienter propositum potest elicere. Ratio manifesta est, quia Deus prouidet vnicuique causæ secundæ iuxta capacitatem, & indigentiam eius, sed potentia libera cum sit virtute multiplex in ordine ad varios actus est capax plurium concursuum diuinum, seu distinctum pro eodem instanti; ergo si vnus tantum illi prouideretur, seu offerretur, non

